DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

# QVÆSTIO MEDICA

## QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS III. DECEMBRIS,

## M. IOANNE MERLET, Doctore Medico, Præſide.

1028

*Eſtne Sternutatio naturalis actio?*

NATVRA miras artes queis ſe tueretur à nullo edocta, adinuenit; adeò fauſte cuncta dirigit, vt quandiu ſui iuris eſt nullus omninò motus fiat in animali, à quo non leuetur ſeu iucunda & profutura fruitionis gratia proſequatur, alliciatve, ſeu nocitura auerſetur ac reſpuat; ſeu animalis ſaluti prouideat quæ omnia incredibili motuum varietate præſtat: Interdum paulum impedita cum aduentante ægritudine colluctatur, à quâ ſe ſibi vindicat citra alienum auxilium. Aliquando ita ſe gerit, vt quamuis propter inſolentiam ad morbum pertinere eius actio videatur; attamen tum rei opportunitas tum animalis commoditas aliter ſuadent ac teſtantur. An non eiuſmodi partus quem quamuis non contemnendus comitetur dolor ſolius tamen naturæ opus eſt? Sicut & tuſſis, ſingultus, ſternutatio? Naturæ ſolertiam animaduertere eſt diuerſis in motibus, quorum ope inutilia & moleſta abigit.

NON ſane quicquid naturæ tædium parit morbum facit, nec ipſius in illo egerendo conatus ægritudinibus annumerandus. Vomitus ipſe à morbo licet videatur fieri, dum ventriculus rem ſibi ingratam ſiue aduenam, ſiue indigenam remetitur ac rejicit; quia tamen corpus exonerat leuatque alioquin male habiturum, non raro haud dubiè à natura proficiſcitur, quæ pariter ſanguinem per hemorrhoïdes perque locos muliebres ſtatis quibuſdam temporibus deponit, nociturum, ſi diutiùs hæreret, nec minùs perirrhæa aut diarrhœa opera ſunt naturæ, nos docentis manum ſuccutere, ſi quid ei adheſerit incommodi; & nictare, ſi ſub palpebras ſordes ſubierint. Eadem ipſa eſt, quæ ſternutationem ciet, certoque affirmamus, quemlibet motum, qui ad ſalutem fit in noſtro corpore, à naturâ dimanare. Hac duce partes communi officio deſtinatæ ſibi ipſis proſpiciunt, dum concuſſione conantur res moleſtas excutere, ſic cerebrum ſternutatione, pulmo tuſſi, ventriculus ſingultu noxia deponunt. Qui motus omnes effectus naturæ ſunt.

STERNVTATIO homini maximè familiaris fit ex capite, calefacto cerebro, vel humectato inani quod in ipſo eſt. Et ideo ad aſpectum ſolis ſternutatio. Quæ motus eſt cerebri ſeſe concutientis cum ſono ad rei moleſtæ excretionem; ſpiritus dum è cerebro exprimitur, eodem pene & vnico impetu ex pulmonibus confertim quoque emittitur; hinc ſonus inter ſternutandum obauditur ſimulque quod vtrique noxam inferebat exploditur, è canalibus pulmonum craſſa pituita, è naribus mucus. Intra nares immiſsâ feſtucâ vel paleâ excitatur ſternutatio, quæ fit valida cerebri concuſſione quam nerui omnes pene ſequuntur cæteræ partes & regiones quatiuntur, & ita vt è ventriculo ſingultus cauſa excutiatur, morantes à partu ſecundinæ deturbentur, exore ſaliua ab oculis lachrymæ exprimantur, perque vniuerſum corpus ſæpe horroris ſenſus excitetur. Sternutatione cerebrum fit expeditiùs, liberior animus, acutiores ſenſus, corpus alacrius. Aberrant qui multo vino madentes ébrietatem conantur redimere ſternutatione, quæ à ſomno fœliciter fit non à paſtu.

NATVRÆ & morbi hoc intereſt quòd à morbo pejora ſemper à natura meliora contingant, & niſi actiones naturæ omnino iuuent, credere par eſt huius vires ex morbo quodam fractas fuiſſe. At quoties parens optima valet vigetque ſuis motibus & actionibus perpetuo auxiliatur animali, vt obſeruare eſt in ſternutatione motu à natura ſuſcepto in ſolatium & ſalutem. Sin autem natura irritetur humore, ſed cuius copia major eſt, quam vt exhauriri poſſit; minime ſane damni accuſanda venit, nec eius motus ſternutatio, ſi quidpiam ex eo conatu deterius contingat, inique noxam quis immerenti naturæ imputabit. Sicuti ſi inter mungendum vas aliquod vitio humoris rumpatur, vel excreando aliquis apoplecticus fiat perperam actio naturalis accuſabitur. Nec ille deterior Medicus cenſendus qui morbum inſanabilem non perſanauerit. Sic Naturæ vitio non vertitur ſi medio in ſternutationis niſu quem merito ſuſceperat deficiat, & obruatur.

STERNVTATIO quia fit maxime ex parte illa ſublimiore admodum diuina ex qua emittit quod moleſtum eſt, ſiue humor ſiue ſpiritus, hanc ſacram putauerunt antiqui, & tanquam quid diuinum adorauere, nec mirum cum corpori vniuerſo perſalutaris ſit naturæ effectus, tum præcipuè capiti, cui Veteres Medici quam bene conſultum ſternutatione voluerunt, vt non abſtinuerit ipſe Hippocrates à præſidiis hanc promouentibus quibus iuuabat naturam ſicut medicamentis aluum ſoluentibus. Et niſi perpetuo concitetur ſternutatio à naturâ vegeta ſaltem inde eam non omnino opprimi & fatiſcere conjiciunt Medici. Qui non aſſentiuntur ſuperſtitioni augurum, nec enim putant carcere detentis libertatem ſternutarione præſagiri, ſed norunt ipſi tum ſanis tum ægris feliciter ac bonis auibus contingere.

*Ergo Sternutatio actio naturalis.*

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

*M. Paulus Courtois.*
*M. Petrus Moriau.*
*M. Guillelmus Petit.*
*M. Ioannes Couſin.*
*M. Rolandus Merlet Schol. Prof.*
*M. Stephanus le Gagneur.*
*M. Robertus Tulloüe.*
*M. Dionyſius le Soubs.*
*M. Bartholomæus Baralis Med. Reg.*




Proponebat Lutetiæ FRANCISCVS BOVIONIER, Pariſinus, A. R. S. H. M. DC. LIV.